

NOBILISSIMO VIRO DOMINO DOM.

CAROLO GVILLEMEAV,

CHRISTIANISSIMI REGIS CONSILIARIO, MEDICOQVE ORDINARIO, ET SCHOLÆ MEDICÆ PARISIENSIS DECANO MERITISSIMO,

NICOLAVS CAPPON Parisinus.

INTER *tot circumstrepentes omnium plausus me silere nefas fuit* (Vir Clarissime) *neque potui prorsus* ἀσύμβολος *non aliquid tandem afferre, quo & meum in te studium innotesceret ; venio scilicet in partem collati à te in amplissimum Medicæ Facultatis ordinem beneficij, quod posthabitis grauioribus negotijs antistitium in ea summis laboribus non solùm susceperis administrandum, verumetiam fatiscentem propemodum Scholæ gloriam pristino splendori restituere, ac maleuolorum inuidiæ ne dicam vel potiùs furori subducere quotidie coneris: in ea nempe incidimus tempora, quibus vel ab exoleta Circulatorum turba, almæ nostræ Parentis auctoritas,* & qua sola sidera adibat, fama prior *infestatur, vel ab ipsis etiam quos genuit illa sinùque fouit proprio dilaceratur ; adeo valet impotentis animi vitium, aut æstus ambitionis, auidæque nimiùm mentis ardor improbus ! Etiam* hæc tetigit Galene tuos Vrtica nepotes. *His monstris auerruncandis felici quodam fato tanquam Deus è machina prodiisti, huic Lerneæ feræ velut alter Hercules facem admouisti, numquam vltrà sæuitura dum Schola præeris, dum eam spiritus ille tuus ad magna solùm efformatus animabit.* Viue, vale, felicibus vtere fatis.

QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE MERCVRII V. DECEMBRIS,

M. SIMONE BAZIN Doctore Medico, Moderatore,

An imbecillitati Ventriculi adstringentia? 820

SINGVLÆ corporis nostri partes, quæ vim & vsum habent toti corpori communem, suo tandem officio & munere debilitatæ fatiscunt, sed longè magis quouis morbo imbecilles euadunt; adeo vt partis imbecillitas aliquando morbus sit, aut cuiuslibet morbi symptoma; non est enim nudum & inane nomen imbecillitas. Vt quælibet pars, sic Ventriculus naturalis œconomiæ princeps, omne genus morbi patitur, similare, organicum, commune: illum intemperies omnis generis, simplex, composita, & quæ humoris est particeps, totius substantiæ corruptela à veneno, vitiosa conformatio, membranarum tenuitas, nonnunquam tumor obstruens, rarò inflammatio, sæpe abscessus in pyloro malis & propè deploratis ægri rebus, aliquando etiam vlcus malè afficit; denique morbi innumeri tantò periculosiores quantò coctio, præcipua illius actio, vniuerso corpori magis necessaria, primæque coctionis vitium secunda & tertia non emendat.

VENTRICVLVS membranosus & neruosus fibrarum ministerio (in quibus officialium partium τόνος & robur) facultates naturales & administras exercet, rectis attrahit, expellit transuersis, obliquis retinet, solisne an verò pari omnium contentione? his laxatis, ruptis diuulsisve, actiones etiam quæ harum subsidio opus suum edebant, vel minuuntur, vel deprauantur, vel penitus abolentur; hinc postmodum aut cibus non appetitur (cuius sensus soli Ventriculo inditus) aut ingestus non facilè fertur, sed eo accepto dolor, nausea, singultus, fluctuationis sensus, cibi vomitio, ructus acidus, nidorulentus, excrementis liber aditus, demum omnis coctionis ratio peruertitur; hic affectus rectène resolutio & ἀτονία dicitur, illorum prope omnium symptomatum parens?

HVIC morbo maximè obnoxij temperamento humidi, pueri, senes, feminæ potiùs, & qui otiosam curisque vacuam vitam agunt, quàm mares disciplinis & laboribus nati, omnium minimè iuuenes, & ætate consistentes, sed eo correpti periculosiùs ægrotant; hunc promouent ciborum humectantium colluuies, piscium omne genus, potus liberalis, Bacchi indulgentia, oleosa & pinguia, labor à cibo, frequens aquæ dulcis balneum, & pluuiosa ac austrina aëris constitutio. Hyeme autem vt coctio in omnibus potentior, sic attractio maior, retentio firmior, expultrix robustior; denique prout quęuis actio peculiari gaudet qualitate, sic contractio, propria fibrarum & musculorum actio, vt humore soluitur, sic siccitate iuuatur.

INVENIT præsidia vnicuique morbo accommodata salutaris Medicinæ disciplina, quotidianis Naturæ operibus consentanea, quam Medicus rectè operantem perpetuò imitetur, sibique tanquam ducem & Polycleti regulam proponat. Nunquid mirâ illius prouidentiâ, acerbus, austerus, adstringénsque succus à liene in Ventriculum refluit? excitandęne solùm appetentiæ, an etiam firmandis fibris omnibúsque earum actionibus roborandis? indéque crassiores densioréque membranæ cibos arctiùs complectuntur, & calor ille internus coctionis artifex primarius veluti obice facto constrictis vndique poris coërcetur, nec facilè aufugit quò suus fert impetus; hinc in animalibus quæ coctricis robore ceteris antecellunt, ventriculi membranę non tenues & dissolutæ, sed densæ probéque compactę reperiuntur.

VERVMTAMEN hęc ipsa pręsidia quamquam Naturæ æmula, plerúmque Ventriculi vt & aliarum partium robur & virtutem offendunt, aut quia immodicè refrigerando insitum calorem extinguunt, qui fortasse substantia est virtutum, aut certè primarium ac necessarium ipsarum instrumentum: aut quia alienis & malignis qualitatibus ipsum inficiunt, veluti cathartica, & pręcipuè si simplicibus & solis Sennæ foliis constent; aut denique quia immodicè relaxant, ideóque sine adstringentibus sumptis & admotis nunquam exhibenda. Adstringentia verò, qualia sunt acacia, balaustium, malicorium, mespilus, cotonea mala, aloë, quæ falsò venarum oscula reserare dicitur, plantago, rosa, myrthus, absinthiorum genus omne (licèt ponticum vt & suaueolentia cerebro, sic ventriculo grata aliis prætuleris) rhabarbarum præ ceteris purgantibus hepati, sic & ventriculo jucundum atque salubre, & ea quæ non tantùm purgatrice, sed & subadstringente qualitate pollent: vt quibus à natura non datur, arte adiiciatur, vbi purgationi locus: illa laxo ventriculo solutęque compagi fibrarum minimas vniendo particulas, vires addunt, quibus inde collectis Ventriculus suorum officiorum muneribus alacriùs fungitur, diutiùs retinet, fortiùs expellit, meliùs concoquit, promptiúsque quod est bonum & familiare attrahit.

Ergo imbecillitati Ventriculi adstringentia.

Proponebat Lutetiæ NICOLAVS CAPPON Parisinus, A.R.S. H.M.DC.XXXV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. *Petrus Legier.*	*M. Petrus Yon.*	*M. Gabr. Harduyn de S. Iacques.*
M. Ioannes Chartier, Med. Reg.	*M. Claudius Germain.*	*M. Michael de la Vigne.*
M. Ioannes Pietre.	*M. Germanus Preaux.*	*M. Iacobus Perreau.*